Quelle: http://manuscripta.at/?ID=392
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

expedit sue cupiditati non obediatur, aliquando etiam si nocivat prodesse creditur quod delectat. Abbas Ferreti propria manu

Item in capitulo XLIIIº de procuratore fuit signatum sic. Istud capitulum si intelligitur ut videtur, sonare videlicet quod procurator ipse habeat stare et ire ad grangias et villas et inconsequenter practicare cum hominibus virisque sexus secularibus periculosum est et est segregare ovem a grege et lupis exhibere. Canonicus enim est si esset secularis fidelis quia anima cunctis rebus est preferenda, et licet non meminerim collegisse aliquid pro vel contra in Regula sancti Augustini. In vita tamen colligi contra dum legitur in hiis quoque que eadem habebat et possidebat intentus amore vel implicatus non erat sed maioribus magis spiritualibus suspensus et inherens etc. Abbas Ferreti propria manu

Item super capitulo XLVIº de plebanis fuit scriptum: Ista condicio nisi non placet michi Abbati Ferreti quia nimis periculosa et contra vitam et mentem Augustini prout colligitur ex verbis regule et legitur in vita sua, videlicet feminarum intra domum eius nulla umquam conversata est nulla mansit nec quidem germana sororque vidua deo serviens etc. prout ibi

Sequitur Conclusio et subscriptio eiusdem Abbatis in fine. Et si in sinodi parte deberem me subscribere, tamen quia ab aliis erat subscriptum premissis aliquibus verbis ex zelo caritatis attentis verbis Augustini in ultimo capitulo in fine non placent michi tales reformationes que solum correxerunt ceremonialia et non substancialia et que requiruntur de iure a regularibus maxime in hoc tempore sic lapso in quo vix remanet in effectu aliquid de regula, et occurrit michi prophecia cuiusdam patris antiqui qui prophetavit de illa generatione videlicet prima dicemus mandata dei servant, de secunda dimidiam partem, de tercia nichil, et heu proh dolor vereor ne sumus in tercia. Et refertur dictum cuiusdam david doctoris dum quereret causam religiosi in monasteriis degentes ut communiter succubuit temptacionibus. Respondet quod olim a religiosorum conventibus in quibus vita plena virtutibus agebatur tam confusibiliter fuit expulsus et prostratus demon quod inibi commorantes mente erant deo copulati et armis virtutum unanimiter contra inimicum presserunt. Sed quia res proh dolor hodie in contrarium versa est, redit potencior factus et facta sunt novissima nostra peiora prioribus. Consideravit enim versipellis ille infirmiora regularium et invenit mentes ipsorum modernorum tam prelatorum quam subditorum nudas armis virtutum in lecto accidie a superiore amore disiunctas et dimissas ad infima videlicet mundi divicias carnis delicias honores et seculi pompas inclinatas, et delitiis terrenarum insistentes et talibus vehementer delectari. Demumque insidiator callidus consideravit plerosque in monasteriis delirantes stulte securitati intentos se ipsos seducentes et sibi ad salutem sufficere credentes si in congregatione

Iste abbas plenus est suspicionibus, qui debuisset scire nonnisi probatos officiales constitui, et aliam personam fuisse S. Augustini episcopi, aliam simplicis procuratoris.

Quod S. Aug. fecit, laudabiliter fecit, cum autem canones has personas in cap. 44. admittant, non proinde sunt vituperandi, si eos canonici observant.